

nequeat; quasi verò hoc sit potentia, quod impotentiam potiùs ac imperfectionem innuit maximam: Hinc per Sarcasum potiùs quàm seriò id effutiisse viros, sunt qui putant. Eadem oberavit chorda Montanus hæreticus; nec non Petrus Abailardus, teste Bernhardo, intempestivè blaterans: *DEUM præter illa, quæ fecit, nil quicquam facere posse.* Nec hîc ἀσύμβολος discedit impurissimus Vorstius, potentiam DEI esse infinitam ac immensam, inficiens, quòd non ad omnia pertingat impossibilia: perinde ut alii Empectæ inde movent dubia, quia nec alium creare DEUM, nec factum infectum reddere, nec craftinum reparare, nec mentiri nec peccare ipsi sit integrum. At quis non detestatur desperatam Sophistarum vafritiem? quis non videat hæc ipsa, utpote per se simpliciter ἀσίματα nihil derogare Omnipotentia, sed vel ex parte DEI vel rei manifestè implicare. Quomodo enim DEUS ab alio surrogatus veram tueretur autoritatem divinam? DEUS creatus & ab alio dependens esset non-DEUS: quomodo immutarentur rerum series, aut vices temporum salvis hujus universitatis legibus? sic idem sanè simul esset & non esset, in quo prima vertitur contradictio; eodem pacto, si mentiretur aut peccaret DEUS, seipsum abnegaret: Benè Augustinus: *Magna, inquit, DEI potentia est non posse mentiri, neque ideo DEUS minus potens est, quia peccare non potest, cum omnipotens nullatenus esse possit, qui hoc potest?* Obscurum quidem ex canone: quod quis potest, si vult, potest absolute; hîc argumentum necitur, subsumptione tali; Atqui DEUS potest peccare si vult; unde porrò DEUM peccare posse concluditur: in quo solvendo ipse jam sudavit Durandus, majorem non simpliciter concedendo, verùm ita limitando, ut intelligatur de eo, qui non tantum velit, sed & velle possit. Alii aliter respondent: ego citra ambages negarem Minorem; DEUS enim neq; peccare vult neq; potest ullò modò, adeò ut potentiam exorbitandi in eo vel suspicari meram redoleat blasphemiam. Dominicus à Scoto rationis decempedâ metitur vires Numinis, disertè ajens; à DEO effici non posse, quæ noster respuit intellectus, etiamsi non impli-